

pensius commendatum in singulis negociis suis et agendis velitis favorabiliter promovere.

55. Conductus.

Ad universorum s(acri) R(omani) i(mperii) no(ticiam) vo(lumus) pervenire, quod nos discretum virum t(alem) nobilis viri t(alis) capellanum ad curiam Rom(anam) ire volentem in eundo et redeundo de ipsa in nostram et imperii protectionem et conductum recepimus et recipimus specialem, mandantes universis, ne quis eum vel familiam suam in personis vel rebus aliququaliter presumat vel audeat molestare. Quod qui facere presumpserit, regie maiestatis offensam se noverit incurrisse.

57. Exemptio a thelonio¹.

Antiquorum decrevit provisio nec modernorum displicet ingenio, res gestas in occursum futuri scandali literaliter expressione memorie commendare. Quapropter noverint universi presentis littere inspectores, quod nos ob reverenciam eius, qui cor hominis confirmat spiritu principali², necnon in remedium nostrorum peccaminum ecclesie t(ali) hanc gratiam fecimus, ut universos proventus, quos de possessionibus ecclesie habuerit, quod nuncii eiusdem ecclesie iuramento suo probaverint ita esse, in thelonio nostro deducant sine nostro et nostrorum officialium impedimento. In cuius rei testimonium.

58. Pro apostata resumendo.

Pro dilecto devoto^a nostro t(ali), qui post mundi huius spurcicias, quibus maligno suadente spiritu fuerat irretitus, cupit prioris refici deliciis paradisi, devocionem t(uam) rogamus omni qua possumus instancia et affectu, quatinus ipsum t(alem), qui reatus sui excessum vere penitencie lacrimis abluit petendo corde contrito et humiliato animo veniam de commissis, velis illius exemplo, qui in ira misericordiam non restringit, ad sinum gracie misericorditer recolligere pristino favore et gracia pro Dei nostraque reverencia caritativis amplectendum, ut una cum ceteris confratribus tuis possit in divinis laudibus errorem suum

a) 'nota' am Rand T.

1) Auch in E fol. 108 n. 84 und im Berliner Fragment. Reg. imp. VI, 1455. 2) Ps. 50, 14.